

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vetere Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, Libri Tres

Primus veterem habitum: Secundus conuictum ac disciplinam: Tertius honores ac priuilegia describit

De Clerici, Monachi Vetere Institvto. Liber Primvs - Distinctus in tres Partes. In quibus, praeter veterem eorum habitu[m], multa quoque inserta de veste veterum laicorum. Breuiterq[ue] explicata singulorum origo, & antiquitas.

Landmeter, Laurentius

Lovanii, 1626

Cap. XIV. Etiam Gentiles aliquid de hoc ritu obseruasse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11007

C A P V T X I V .

Etiam Gentiles aliquid de hoc ritu obseruasse.

Obiter h̄ic obseruo, aliquid de hoc ritu religioso, Gentium vanitatem in suas superstitiones transtulisse. Constat enim ex Plinio, Consueuisse virginem vestalem, vbi per Pontificem in Vestæ Sacerdotem capta erat, abscissum crinem (Vestæ nimirum sacrum) in arbore lotos suspenderet. vnde arbor capillaris dicta. Sed nihil hæc superstitio ad Christi virgines, quæ non Vestæ crinem resecant: sed in symbolum consecratæ Deo mentis, vna cum crine significant, *abdicata sibi lenocinia pulchritudinis*, vt alibi de eis loquitur Ambrosius. Præsertim cum mulierum genus valdè φιλοκοσμου soleat in crinum & capitis compositione exorbitare. Vnde est falsa Comici irrisio.

In resp.
ad Syn-
marchii.

*Dum parantur, dum comuntur annus est.
vt meritò peculiariter monuerint eum
sexum*

144 DE VETERE CLERICORVM

^{2 Tim. 2.} sexum Apostoli, ne sit eis ornatus in *tortis
crinibus*, aut *extrinsecus capillatura*. Decla-
^{1. Pet. 3.} rauit vtrumque S. Hieronymus, loquēs de
<sup>Ep. 23.
ad Mar.
cell.</sup> ea quæ de sæculo transierat ad religionem,
Tunc (inquit *crines ancillulae disponebant, &
mitellis crificantibus vertex arctabatur in-
noxius; nunc neglectum caput (imò & ton-
sum) scit sibi tantum sufficere si veletur.*

Obseruo præterea, grauiter in hoc ritu
errasse Audericum quendam Hybernum,
<sup>Baron.
Tom. II.
an. Do.
mini
1035.</sup> famâ sanctitatis alioqui celebrem. qui vir-
gines more Clericorum in coronam ton-
debat, ac ita sine velamine iubebat ince-
dere. Sed nihil durauit hic error, mox ex-
plosus ut ridiculus, & alienus ab Ecclesia-
sticâ consuetudine.

Cucullam sequitur Tunica.

C A P V T XV.

*Quid Tunica. Quid Rasa. Rachana. Racha-
nella. Rasophori.*

<sup>Agel. I. 7.
cap. 15.</sup> **P**orrò Tunicæ sine manicis erant. Et
sanè veteri æuo, Roma ac toto latio,
tunicis